




Sereniss. principis Alberti Austriae archiducis VII. Brabantiaeae ducis I. laudatio funebris

<https://hdl.handle.net/1874/9485>

SERENISS. PRINCIPIS
ALBERTI
 AVSTRIÆ ARCHIDVCIS VII.
 BRABANTIÆ DVCIS I.
 LAVDATIO FVNEBRIS:
 DICTA
 A LAURENTIO BEYERLINCK
 Canonico & Archipresbytero Ecclesiæ
 Cathedralis Antuerpiensis,

In exsequiis eiusdem ibidem honorificè celebratis ab
 vniuerso Clero, Senatu & Populo, die xix. Augusti,
 anni M. DC. XXI. postquam ille viuere desisset
 Julij præcedentis die XIII.



ANTVERPIÆ,
 EX OFFICINA PLANTINIANA.
 M. DC. XXI.

A M P L I S S I M I S³
A C
P E R I L L V S T R I B V S D O M I N I S
P R A E S I D I
E T
S E N A T O R I B V S
S A N C T I O R I S C O N S I L I I
I N B E L G I O

L A V R E N T I V S B E Y E R L I N C K
Canonicus & Archipresbyter Ecclesiae
Cathedralis Antuerpiensis,
se & hæc suadicit consecratque.

S E R E N I S S I M I A r c h i d u c i s
A L B E R T I , d e s i d e r a t i s s i m i
P R I N C I P I S n o s t r i , b e n p r i-
d e m e r e p t i ! e x s e q u i a s h i c i u i m u s ,
A M P L I S S I M I D O M I N I ,
& i n ijs L A V D E S l a c r y m i s m i-
f t a s m o r e & a m o r e d e d i m u s . V t r a s q u e a d A M-
P L I T . V V . f e r o ; & c u t a d f e r r e m , t i t u l u s & a r g u-

A 2 men-

mentum ducebant. LA VDES sunt laudatissimi PRINCIPIS, & qua desiderium extincti repenant, LACRYMÆ. Neque aliis quam Vobis debebantur, qui in alto illo culmine Olympum hunc sustinetis, quem is humeris vestris imposuit: & cuius etiam dum adhuc vineret, simulacrum prudenter & integritatis splendore extulistis; quem nunc mortalitate defunctum, cœn Parentem alterum (ita iure omnes debemus) lugetis. Si qua voce aut stylo per me omissa (quis enim finis aut modus in inuio hoc laudationis salo?) aut verbo solùm emissa, in animos vestros excutienda immittite; & postumam hanc erga Optimum Piissimumque PRINCIPEM cultus mei pietatem, & cum eâ deuoti erga AMPLIT. VV. affectus monumentum admittite. Antuerpia, v III. Kal. Septemb. anni M. D C. XXI.

5

SERENISS. PRINCIPIS
ALBERTI
AVSTRIÆ ARCHIDVCIS VII.
BRABANTIAE DVCIS I.
LAVDATIO FVNEBRIS.



N ad luctum redimus, AN-
TISTES REVERENDIS-
SIME, & lacrymas quæ ex
nupero funere PHILIP-
PI III. Regis Catholici,
oculis adhuc hærent, ino-
pinatò resumimus, omnisque ad repetitas ex-
sequias sexus & ætas venit, atque non tam ad
hæc nouæ pompæ miracula spectanda, quam
ad communem Orbis Christiani orbitatem
deplorandam certatim accurritur. Adestitis ne-
niam cantaturi REVERENDE, NOBILIS,
ac RELIGIOSE COETVS. Adestitis Belgicæ
nostræ, & ciuitatis huius luctum, & pietatem

A 3 ve.

6 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI

vestram, erecto hoc in loco hon orarij tumuli
mausoleo testaturi, atrati SENATORES.
Quin & augustissimæ huius Aedis vestitus
concolor dolorem auget, & suspensa sacratis
turribus æra querulo murmure cælum pul-
sant. Cælum etiam ipsum nouo hoc funere,
obortis subitò densioribus nimbis, in lacrymas
resolui videtur. O inauspicatum nuperi si-
deris portentum! O dirum mortalibus omen,
Cometam! Non sine causâ, dum infestam nu-
per facem panderet, vultus in cælum erexi-
mus, tenuitque sollicitos omnium animos,
dum per continuas noctes statione seruatâ ad
nos rediret, cui tandem exitia & clades desti-
naret. Quippe non vno funere expiatæ illius
minæ, in Principum capita deseuñit, qui tristis-
simum illius aut fatum, aut nuntium ineuita-
bili necessitatis lege exceperunt. Hactenus
enim & MATTHIAM Cæsarem inuictum,
eiusque fratrem MAXIMILIANVM, Princi-
pes potentissimos; mox PAVLVM V. verè
Optimum Maximumque Pontificem; PHILIP-
PVM denique III. Regem Catholicum
feralis coma obuoluit: donec versatâ tandem

Prin-

Principum virorum vrnâ , egressa fors , Sere-
nissimum Archiducem ALBERTVM PRIN-
CIPEM nostrum , inter bonos Principes
optimum , inter pios sanctissimum , inter
fortes maximum, inter egregios prudentissi-
mum , clementissimum , & publicæ quietis
amantissimum terris eripuit , cæloque reddi-
dit. Regnator omnium Deus , cuius obstetri-
cante manu tortuosus coluber eductus hanc
molem ambit, cui signa cæli famulantur, hoc-
cine ad potentiaæ tuæ miraculum deerat , vt
flos ille Principum , gemma Ducum, vnicum
Belgarum , imò & humani generis delicium
ALBERTVS moreretur? & quidem eo tem-
pore moreretur , quando calamitatum om-
nium pænè oblii, tranquillitatis diu exspecta-
tæ commodis fruebamur ; & vt vltrà fruere-
mur , sperare nos iubebat PRINCIPIS inte-
gritas , & in omnes beneficentiaæ pacisq[ue] stu-
dium : cùm nunc eo ablato , solitis furiis ex-
cienda timeatur hostium perfidia, belliique fa-
ces semel extinctæ, apertis Iani foribus, accen-
dendæ existimentur.

— Sed quid Pietas irata sinistris

Cæli-

8 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI

Calicolis furit? —

tab. 8. *Numquid Deus supplantat iudicium? aut omnipotens subuertit quod iustum est? Immobili lege humanarum rerum ordo seritur:cui obsistere velle, stultum esto; obmurmurare, impium. Hanc vitæ conditionem sumpsimus, ut quam nascendo accepimus, deponamus iubente & repetente magno illo Stratego: cuius prima lex, stare decreto. Verùm impotentior ea medicina est ab inuictâ necessitatis regulâ desumpta, ut iacturam nostram resarciat, quam tanti PRINCIPIS orbitate fecimus; ut dolorem leniat, quem tam funesto funere excepimus. Amisimus non tam PRINCIPEM, quam PATREM; non tam Dominum, quam contubernalem: & bello & pace inclytum DUCEM. Cuius in cultu, sensu, sermone modestiam, in moribus grauitatem, in agendo prudentiam, in præcipiendo æquitatem, in exsequendo clementiam, splendorem in publicis, in priuatis moderationem, pietatem erga Deum, Diuos, Templa; beneficentiam erga omnes, ceteri Principes quibus ille ad has virtutes exemplum fuit, mirabuntur facilius,*

quam

quàm imitabuntur. Nos certè dum ea refricabimus, oblectabimur quidem memoriâ illius, quòd talem ac tantum Principem habuimus, vnicum ceterorum Principum phœnicem; qui & famâ fruetur quam meruit: sed dolorem eò ampliùs exulcerabimus, quòd frequentiùs moderationem quàm præfuit, exemplum quo profuit, solatia quæ adulit, calamitates quas abs-tulit, oculis subiiciemus. O * diem deteriore ^{* 13. Jul.}
_{1621.} lapillo munerandum! occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine, quo acerbus elongati à nobis discessus tui PRINCEPS SERENNIS. nuntius aures omnium verberauit, téque mortalitatis sarcinâ exutum, querulâ voce significauit. Diem, inquam, qui quò nobis existit acerbior, eò exspectationi tuæ cumulatior; quando ad originem tui reuersus, illibatum felicitatis æternæ decus, quod in terris, vitam sine labe ducendo, quæsiuisti, es consecutus: eoqué nauigium appulisti, vnde nullum deinceps naufragium pertimescas.

Agite igitur AUDITORES, cælo receptus ARCHIDVX ALBERTVS hanc obsequij nostri pietatem intuetur. Tibi P RÆSVL Re-

B ueren-

10 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
uerendiff. vobis *Reuerendi Domini, ac Religiosi*
Patres, & Amplissimo huius vrbis *Senatui*
Populoḡ exsequias eunti, gratias agit maxi-
mas, maiores patrocinio suo apud commu-
nem Deum relaturus; quòd tantâ deuotione,
tam pio adfectu, tam religioso cultu, deuotio-
nem, adfectum, cultumque quem superstitioni
exhibuistis, etiam maiorem postquam super-
esse desiit, vltrò exhibeatis. Et quamuis non
nisi humilem sarcophagum tumulumq; quo
corporis reliquiæ conderentur, sine titulis aut
purpuræ notâ, extremis testamenti tabulis,
quâ erat modestiâ, postulauerit; facitis tamen
quod PRINCIPI optimo, quod PARENTI
meritissimo, quod clementissimo DYNASTÆ
facere debetis, Ampliss. CONSULES; incerti
num parem obsequij funebris pietatem um-
quam alias sitis impensuri. Neque deerit quæ
isthæc charitatis officia rependat. non enim
totus à nobis abiit ALBERTVS, non totus
discessit. habemus paternæ sollicitudinis pi-
gnus, & velut amoris obsidem Serenissimam
coniugem, HEROINAM inter omnes sui se-
xus verè Principem, comitate & benignitate
erga

erga omnes, magnæ illius ISABELLÆ Diuorum catalogo inscriptæ, æmulam : pietate & deuotione in Deum & Sanctos, CLARAM: generosæ indolis nobilitate, EVGENIAM. hæc enim nomina iam olim recèns natæ obtigerunt, quòd eam mater ISABELLA VALENTIA, HENRICI II. Galliarum Christianissimi Regis soror, pridie diei qui B. virginis CLARÆ facer, eniteretur: sub quod etiam tempus potentissimus Regum PHILIPPVS II. pater,^{Anno 1566.} sacras diui EVGENII Martyris & Episcopi Toletani reliquias, è Galliâ in Hispaniam translatas, amplissimo apparatu, cultuque religiosissimo, humeris Regiis sacræ sarcinæ subiectis, quod omnem pompę amplitudinem excedit ; haud secùs quam Dominicam Crucem Heraclius Imperator ex Perside restitutam, Ierosolymam ; in pristinam suam sedem ædemque intulit. Itaque non est quòd animum despondeamus, dum salutaris hæc VRAINIA Belgicæ adspirabit : quæ velut imperio cum defuncto coniuge diuiso, dum ille cælum tenet, hæc nostra moderabitur, impressâ cùm suæ, ut quam Deus & Natura ei largâ manu

B 2 indul-

12 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
indulserunt, tum maritalis virtutis imagine.
Tollet ergo (spem non modò, sed & fiduciam
concipimus) tollet inquam, aut sustinebit im-
minentia nobis bella ISABELLA : improui-
sam impendentemque periculorum nubem
serenitatis suæ radiis CLARA dispellet: & cre-
ditum sibi populum generoso benevolentiae
sinu, ut nomini suo respondeat, EVGENIA
complectetur.

Sed quò feror? Iussus eram sollenni hac fu-
neris frequentatione laudatissimi PRINCIPIS
emeritas laudes, & ex iis luctum persequi, ne-
que id *mercede, quâ conductâ flent alieno infune-
re Praefica*; aut fictâ, sed verâ pietate , quam
amisso PARENTI debemus; & penè in gratu-
lationem excurrebam & plausum. Adeò trepi-
dè munus hoc laudationis tanti PRINCIPIS
suscepi, vt nisi recusandi pudor audacem red-
deret , numquam hanc celocem tam vasto
narrationis pelago commissem, quam vereor
nimio dicendorum æstu forbendam. Verùm
cùm apud illos dicerem , quibus tanti PRIN-
CIPIS virtus iamdudum affulsit : eo loco di-
cerem, vbi ille niunificantiae suæ nuper exsta-

re

revolut insigne monumentum, quo Collegij huius censum annum , fundi quem fortuita diluuiies olim merserat, accessione (nisi forte malignitas temporum huic Pietati etiam obstat) augeri , & ex hac statione egresso suffragiorum adminicula impendi iussit: denique is ego dicerem , apud quem egregio donatiuo eiusdem PRINCIPIS beneficentia se aliquando effudit ; vela explicaui , & quod Crœsi filio accidisse legimus , vt naturâ elinguis in verba prorumperet animosâ sicarij in patrem combinatione permotus , fiduciam mihi comparaui, vt in hoc æquor descenderem , & confusè viam aliquam laudationi designarem.

Etenim si ab ipsis ALBERTI PRINCIPIS nostri primordiis velut è portu soluero , & per Austriacæ gentis triumphos & altioris Genij Principes, quorum per augusta Imperia numerantur aui, qui Leges, Reges, Cœsares dederunt, ratem hanc deduxero , nullum vñquam finem inueniret narratio. Non enim à fabulosis commentis eius cunabula ad Herculem Primumque deducta auspicarer; sed ad potentissimos Galliarum Reges , & Habsburgicorum

14 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI

Comitum veterem & perillustrem prosapiam, primam generosi huius sanguinis indolem referrem. Dicerem quoque RUDOLPHOS, ALBERTOS, MAXIMILIANOS: dicerem FERDINANDOS, CAROLOS, PHILIPPOS, quibus, ut omittam trophæa innumera, ad gloriā satis sit, quod iam dudum

*-- CHRISTI ADVM nutaret pondere moles,
Ni foret AVSTRIACÆ gentis suffulta columnis.*

Evidem

*Te decet Imperium, gens AVSTRIA fortiter illo
Vsa diu.*

Quippe à RUDOLPHO ALBERTI cognomento SAPIENTIS filio, qui notâ in Sacrorum ministrum extremum viaticum ægro deferentem pietate, stirpem hanc propagauit, intra trecentos hos circiter annos, XII. IMPERATORES Occidentis per ætatum successiones numeramus; quorum eminentia facta, quibus orbi Christiano affulserunt, posteri loquentur, & ad feros nepotes transmittent. Fuit autem inter hos MAXIMILIANS II. FERDINANDI primogenitus, optimus Imperator, Archiduci ALBERTO parens, cuius

in

in Rempub. Christianam egregia merita, licet tacuerimus nos , frequentes aduersus A V S T R I A C I sanguinis immanissimos hostes victoriæ & triumphi , ac plurium insuper Regnorum felicia incrementa(nam vix vnico anno exacto , tres ordine coronas accepit) duraturo elogio decantabunt. Coniugem habuit M A R I A M C A R O L I istius V. filiam , P H I L I P P I II. Catholici germanam , cùm naturæ tum animi ornamentis excultam Heroinam , ac matronalis verecundiæ custodem fidelissimam , & ex eâ liberos xv.raro fecunditatis exemplo , rariore Dei beneficio , sustulit. è quibus R V D O L P H V S & M A T T H I A S nuper Imperij fasces tenuerunt : E R N E S T V S vtriusque Pannoniæ , & Belgicæ dein nostræ moderatione nuper eheu ! perfunctus cum vitâ etiam fuit. à M A X I M I L I A N O quoque altero filio , quem Teutonici Ordinis & stemmatis Proceres in supremum administrum adsciuerant , tributum suum insuper natura exegit. Archidux verò A L B E R T V S prioribus superstes , illorum quoque famam benè factorum gloriâ extendit , dum docuit sempiternam , & pænè

16 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
pænè inuiolabilem suæ Gentis fecunditatem,
nouarum semper virtutum accumulatione
locupletem. Natus est autem ALBERTVS in-
ter Austriæ Archiduces eius nominis Septi-
mus, in nouâ Austriæ ciuitate quam Neosta-
dium vocant, anno post incarnatum Verbum
nono & quinquagesimo supra millesimum &
quingentesimum, mensis Nouembris die XIII.
quo etiam die Q. Fabium Max. Consulem,
memorabilem triumphum duxisse, vete-
rum Annales prodiderunt. Renatus salutari
aquâ & Spiritu sancto, nomen ALBERTI ac-
cepit; quod eum cognominem BALBERTO
Ratisbonensi Episcopo, quem summa erudi-
tionis omnigenæ gloria vniuerso orbe MA-
GNVM esse & appellari fecit, piissimi proge-
nitores desiderassent: nisi altius huius nuncu-
pationis originem ad primos, longaque Archi-
ducum serie succedentes Austriæ Archiduces
transmittamus: quibus ALBERTVS iste post-
humâ virtute si non præluxit, certè velut co-
ruscum aliquod sidus illuxit: nequedumtaxat
oris mentiq; similitudine (hanc enim à Fran-
ciæ Regibus ad huius stemmatis Principes de-
riua-

Anno
1559.

riuatam ferunt) Austriacos expressit, sed magis exemplo, quique felicissimè ei crebrò obtigit, maximarum rerum euentu. Qui primus Imperij fasces cum Archiducis titulo tenuit, ALBERTVS fuit ex RVDOLPHO etiam Primo. Sed qualis ALBERTVS? XII. præliorum victor, re & agnomine TRIVMPHATOR. Qui huius nominis Secundus Austriam gubernauit, stirpemque pænè collapsam propagauit, SAPIENTIS cognomen meruit, & solus Austriacarum ditionum heres fuit. Tertius Archidux ALBERTVS, à capillorum propendentium iubâ CVM TRICA dictus, bella quæ suæ genti cum Bauariæ Ducibus erant, compescuit: optimarum artium egregius admirator & amator, Gymnasium quod Viennę hodie floret, exstruxit, & annuo vectigali instruxit, Doctrique titulum asecutus fuit. Quartum ALBERTVM rara Pietas extulit, quâ in Palæstinam, loca vbi pedes Domini steterunt adoratus, excurrit. Sed & Procopij facinorosam manum, quâ Morauiam infestabat, numeroſo exercitu fudit, PATIENTIS & MUNDI MIRABILIVM nun-

C cupa-

18 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
cupationem sortitus. Qui autem primus Re-
gnum Bohemiæ armato milite ingressus, Pro-
ceres pro Casimiro Polono rem agentes (fata-
les namque huic Regno tumultus cum Regi-
bus) subegit, & Imperio quod obtinebat adie-
cit, A L B E R T V S V. fuit, cognomento H O-
N O R I F I C V S . Sunt qui R E L I G I O S V M ap-
pellent, à demissâ sanctimoniam, quâ & officia
Ecclesiastica cum Clericis persoluebat, &
Hymnos in publico concinebat. Sextum à li-
beralitate, quæque Principem ornat clemen-
tiâ, M I T E M , & N I M I E - L I B E R A L E M , ab
huius virtutis excessu dixeré. Definiuit A L-
B E R T O R V M non nomen modò, sed & virtu-
tum insignia A L B E R T V S Septimus Austriæ,
Burgundionum & Brabantiæ Primus D v x:
vt qui pulso Antonio notho, Lusitaniæ Re-
gnum affectante, classeque memorabili fuga-
tâ quâ Vlyssiponam adoriebatur, vt omittam
hoc loco Belgicas expeditiones, & auspicata
stratagemata, & inducias funesto huic insuper
bello præstitas, T R I V M P H A T O R iure cense-
bitur. Quin & S A P I E N T E M , D O C T V M ,
P A T I E N T E M , M V N D I M I R A C V L V M ,
H O N O-

Anno
1589.

HONORIFICVM, RELIGIOSVM, MANSVETVM, MVNIFICVM, adeoque Maiorum sibi cognominum titulis imaginibusque illustrem, quæ porrò adferemus domi militiaeque gesta, demonstrabunt: scietque omnis posteritas, inter Austriæ Archiduces Septimum, inter Brabantiae & Belgarum Principes Primum hoc tempore ALBERTVM fuisse, cui prioribus auorum titulis Pietas, Pacisque ardor nomen addiderit, ALBERTVM PIVM & PACIFICVM indigetauerit.

Transactis itaque in summo Cæsareæ maiestatis splendore, inter maxima Imperij decora ætatis tyrocinii, primos & floridos annos politioribus studiis consecrauit: ut iam Latini sermonis puritatem calleret, vernansque ingenium in decurrentis præteriti temporis Annalibus, & qui ad Christianam virtutem, quod viuendo peruenire à cunabulis summopere contendit, impellerent, Scriptoribus versandis desudaret. Exhinc in litteras & litteratos propensus, ingenia artesque, quod Vespasiano laudi datur, fouit vel maximè: cuius testes producerem Belgicas Athenas, Louaniensem

Academiam, nisi omnibus in ore esset, quâ prudentiâ, quâ prouidentiâ non ita pridem sacrarum profanarumque litterarum Praelectoribus annua salario luculentiora hîc constituerit, dignitates quoque & honestissima congiaria detulerit. Quid exspectemus, quâm egregiam illam & regiam Leonis Græcanici vocem & votum? *Vtinam meis temporibus eueniat, ut militum stipendia in doctores artium absumentur!* Eueniat, ô Principes! neque maius vobis, subditisque præsidium, quâm ab hac palæstrâ. Latinitati aliorum quoque idiomatum peritiam adolescentes anni in A L B E R T O iunxerunt, ita vt neminem mirari oporteat, & velut stupere in vnico Mithridate, quòd variorum Principum & Gentium Oratores, proprias natalis sermonis dialectos ac vocem de promentes admitteret, & sine interprete expeditos à se dimitteret. Siquidem selectiorum Scriptorum reuolutione imbuebat animum, quoties à grauissimis negotiis feriabatur: sollicitus non tam de Regiis Palatij ornamentis, quâm de Palladij eruditioribus libris. quorum etiam dum apud nos fuit, raram magis, quâm am-

amplam supellecilem, ne dicam thesaurum congesit, vt etiamnum supra tria voluminum millia in librario conspiciantur. Sentiebat sapientissimus P R I N C E P S, quod ante illum A L P H O N S V S Aragonum Rex sensit, *Optimos consiliarios esse libros, à quibus sine metu, sine gratiâ, qua noſſe & ſcire cupimus, ex fide & integrè accipimus.* Arma quoque & armorum iura in his proponi, & velut in ſpeculo vultum, ita & mentem componi ad alienam virtutem. De Alexandro Plutarchus teſtatum reliquit, maioribus eum à präceptore Aristotele, eiusque präceptis, quām à Philippo patre präſidiis inſtructum, in Persas mouifſe. Quare quod de Auguſto Cæſare Ausonius, de Principe noſtro iure dixerimus:

*Bellandi fandiq; potens ALBERTVS, honorem
Bis meret, ut geminos titulos; qui prelia Musis
Temperat, & Geticum moderatur Apolline
Martem.*

Educatus inter proſperioris fortunæ blandimenta A L B E R T V S, exemplo iam ſuo doce re cœpit, etiam inter aulæ ſtrepitū luxumque ſacraria eſſe, è quibus ſanctiſſima vitæ institu-

22 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI

ta deriuentur , dum ille in maximis opibus temperantiam , in voluptatibus quæ has comitantur pudicitiam , in vitæ libertate continentiam exerceret , & affectus ipsos in potestate haberet. Neque enim superior aut nostra ætas ignorat , summam in sensu pariter & cultu modestiam , quam ille adsumpsit etiam in alto constitutus , & obsecundante fortunæ vento. Nihil adulationi , prô omnium aularum pesti ! nihil consultoribus , præterquam ad virtutes Principe dignas, detulit, vnius animi, qui dux & Imperator vitæ est mortalium, culturæ attentus. Nec enim vllis vñquam ille-cebris , quas prona in vitium natura in finum colligit, habenas laxauit, vt ijs non dico non succumberet, sed neque incumberet aliquando; in tantum recti peruicax, vt quid in moribus distortum ignoraret. **Quid?** quòd memor fragilitatis huius , quâ summos perinde atque imos æquari sciebat , postquam Archiducatum Austriæ, & dependentes inde Prouincias M A T T H I Æ fratri & Cæsaris morte ad se deuolutas , cum Imperio ab Electoribus delato , F E R D I N A N D O reliquisset; ô Archidu-
cem

cem melioris æui! extremum id etiam voluit, vt exanimum corpus suum , quando iubente Deo tale foret extra Dualem suam urbem Bruxellam , in Palatium deduceretur , stipatum humili comitatu , & xiiii. dumtaxat funeralibus accensis, quorum xii. è communi cérâ ad memoriam Apostolici numeri , albican- te decimo tertio in Deiparæ Virginis hono- rem , deferretur . Aderat nihilominus cum hac moderatione vultus immoti in aduersis perinde ac prosperis reuerentia, quam totâ vi- tâ retinuit. ita, vt quāmuis accessu facilis , ser- mone comis, alloquio blandus esset, nihilomi- nus accendentibus venerationem , locuturis formidinem,anxietatem temerariis, solâ com- positi vultus maiestate incuteret. Castitatem autem, magnum , quia rarum, Principum or- namentum, ita rigidè ante coniugium, & in eo seruauit, vt etiam fœdus pepigisse cum oculis suis videretur, vt ne cogitaret quidem de vir- gine, & ne leuem quidem obscœni rumoris in se fabulam daret. Recolebat Bacchylidis poë- tæ dictum : *Vt egregius pictor speciosum vultum effingit, sic pudicitia celsius consurgentem vitam*

exornat. Hæc tamen virtus non in PRINCIPE nostro solum fuit, sed à gentis radice propagata in hunc ramum defluxit. Siquidem MAXIMILIANVM Primum Austrium sic verecundum ab illico contactu & adspectu extitisse perhibent, vt cùm corpore esset pulcherrimus, nemo eum viderit detectum, aut nudum. neque erat ab hac mente alienus ALBERTVS: vt qui numquam se reiectum contingi passus ab his, quorum ministeria in aliis admittebat; & tertio ante mortem die, vni illorum in mandatis dederit, mortuo sibi feminalia priùs induceret, quām exenterari cadauer contingeret. ita magnum illum Cæsarem,

Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites,
sinum ad ima crura deduxisse, vt confossus honestius caderet, & inferiorem etiam corporis partem velasse, auctor est Suetonius. O curam pudoris, etiam cùm abesset pudor! Hinc si quos alienum torum violasse, aut illicitis amoribus detineri, rumore acceperat, nullâ interpositâ morâ à conspectu suo, imò & Palatio excedere iubebat, publicisque muneribus

bus indignos censebat. quomodo de BAL-
D V I N O ex Flandriæ Comite Byzantij Impe-
ratore referunt, quòd bis qualibet hebdoma-
de per præconem edixerit, ne quis in Palatio
pernoctaret, qui alienam mulierem attigisset.
Castitati pietas præsidio erat, quæ si in vlo ex
magnâ illâ stirpe, singularis in hoc A R C H I-
D V C E fuit. Pietatem voco Deicultum, quem
εὐσέβειαν Græci : qui tamen & erga parentes ^{S. August.}
officiosè se habet. Erga vtrosque habuit Ar- ^{lib. 10. De}
chidux A L B E R T V S. Et vt eam hoc loco præ-
teream, quam in Deum variè testatus, magis
opportuno mox adserendam; Parentibus non
in tenerâ modò ætate, verùm remoto iam cu-
stode, & bullâ Dîs laribus donatâ ita obsecu-
tus fuit, vt à P H I L I P P O II. Rege, & auun-
culo, apud quem inclytieius nominis & indo-
lis fama percrebuerat, euocatus, in Hispaniam ^{Anno}
cum sorore A N N A concesserit. Vbi septen- ^{1570.}
nium propè commoratus, à GREGORIO XIII.
laudatissimo sanctissimoque Pontifice, S.R.E. ^{Anno}
titulo S.Crucis Ierosolymitanæ Cardinalis in- ^{1577.}
stitutus, purpurâ donatur, totius Regni, & Va-
ticani Collegij applausu. Ceterùm P H I L I P-

D

P V S

26 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
PV S II. cum fore ratus, qui sustinendo amplissimæ Monarchiæ oneri humeros velut Atlas aliquis accommodaret, vt qui in rebus maximis prudentiam, in periculis prouidentiam peritiamque notissimis exemplis prodidisset, amplissimos eidem honores decernit, & verecundè abnuenti ingerit.

Anno
1578.

Erant ea tempora, quando cæso in Africâ SEBASTIANO Lusitaniæ Rege, qui Multum Regno suo per Abdemelechum patruum fugatum, iuuenili impetu restituere aggressus fuerat, Proceres ad alienum sceptrâ viduata deferre agitabant, nunc in Antonium Luduici, seu vt alij, Aloisij, de Crato filium nothum, nunc in alias inclinantibus suffragiis. Plerique autem PHILIPPO Regi Lusitaniæ diadema hereditariò competere, extincto presertim paulò etiam post SEBASTIANVM Regem, HENRICO SEBASTIANI propatruo, S.R.E. Cardinale, asserebant; quando PHILIPPVS ab HENRICO Cardinale designatus, & à seniori Procerum collegio iure denuntiatus successor, ingenti & qui fidem excedat apparatu, cui Ferdinandum Aluarez de Tole.

Toledo Albæ Ducem cum imperio præfecit, Lusitaniam ingressus, Vlyssiponenses Antonio adhærentes ad obedientiam, Antonium glande plumbeâ saucium ad turpem fugam adegit, armis & viribus exuit, Regnoque potitus intra dierum LXX. spatium fuit. Verū priusquam in Hispaniam, vnde triennium abfuerat, victor rediret, PHILIPPO III. filio & herede in Regni successorem præuio Ordinum assensu instituto, ALBERTVM CARDINALEM cum Proregiâ potestate Regni istius moderatorem designauit. ^{Anno 1583.} Qui ad eam prouinciam adscitus, tantâ fortitudine, prudentiâ, integritate, annos continuos decem habenas illius inflexit, ut nemo esset, qui non ad nomen Proregis exultabundus profiliret, pristinæque calamitatis obliuisceretur. Prætereo quâ mansuetudine hærentes animis discordiarum fibras euulserit: quâ dexteritate rebellionis intestinæ fluctus composuerit, non commemorabo. Tacebo insuper, quia ad alia festinat oratio, quâ vigilantiâ piraticam classem, quam Franciscus Draco & fugatus Antonius, Vlyssiponam deuoraturi propelle-

^{Anno 1589.}

D 2 bant,

28 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
bant, terga vertere coegerit. Hoc dicam: PHILIPPVM Regem prudentissimum, Proregis
sui virtute excitatum, amplioribus iterum ti-
tulis eum destinasse. nam postquam morta-
lem hanc cum meliore vitam commutasset
Cardinalis QVIROGA, eiusque morte Tole-
tanæ Ecclesiæ prima Cathedra Rectore desti-
tueretur, Madritum venire iussum ALBERTV
M, Ecclesiæ istius Antistitem, & Hispaniæ
Primatem, ipse venienti obuius, adiecto mox
Prioratu Ocratano, salutauit; & ad rerum sta-
tus Consilium adscito, atque Apostolici Legati
prærogatiuâ à CLEMENTE VIII. Pontifice
donato, PHILIPPI filij sui venientes annos
supposuit. O Principem verè haetenus ma-
gnum! sed in his quæ supersunt dicenda, ma-
iorem!

Anno
1593.

Dum hæc in Hispaniâ geruntur, Belgica-
rum Ditionum status imbecillior, repetitis eo-
rum aliquot qui clavo hæc affidebant funeri-
bus, indies euadebat. Scitis AVDITORES, &
nimium eheu! scitis, quod ex quo PHILIP-
PV S II. in Hispaniam discessit, quibus cala-
mitatum tempestatibus, & ciuilium bello-
rum

rum procellis iactata fuerit hæc Reipub. Belgicæ, quæ florentissima olim, dum longâ pace floreret, nauis. Lubet ingeminare illud Threnorum: *Facta est quasi vidua domina gentium:* ^{Cap. 1.} *Princeps populorum facta est sub tributo. Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt, Sacerdotes eius gementes, virgines eius squallidae, paruuli eius ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.* Ceterum Rex PHILIP-
 PVS, memorabili victoriâ cum ad Fanum S. Quintini, tum ad Greuelingam de Galliarum Rege obtentâ, & velut spoliis onustus, rebus omnibus hic prudenter compositis, & in altissimo felicitatis culmine constitutis, secesserat, delatâ regiminis potestate E M A N V E-
 L I P H I L I B E R T O Sabaudiae Duci: cui post quadriennium digresso, M A R G A R E T A M
 OCTAVI Parmæ Principis coniugem sufficerat. Sed exoriri hac Regente, intestina quædam dissidia cœpere, belliisque exiguæ faces, ex prætensiâ à quibusdam factiosis non minùs, quam facinorosis, Religionis libertate; accentæ, domesticum ignem, qui mox in tabulata

30 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
tectumque deseuit, excitarunt. Cui restinguendo cum REX ipse profectionem pararet,
& fecisset profecto, atque utinam fecisset! nisi imperitorum consiliis dissuasus, FERDINANDVM Albæ fortissimum bello Ducem, cuius suprà cum elogio meminimus, reuocatâ post octo annorum regimen MARGARETA, cum exercitu misit. Sed cum ille hoc Belgicæ vulnus ense recidere, & ab integrâ parte gangrenam repellere, insuetâ Belgis seueritate (quæ cum delectu, & mature, nonnumquam Reipublice causâ adhibenda est) contendit, omnia

In peius ruere, & retrò collapsa referri.

Excepit ergo imperium Albani LUDOVICVS REQVESCVS, Castellæ Regni Commendator (militiae titulus est) quod Medinæ Cæli Princeps cum classe aduectus, suscipere detractauerat. Verùm REQVESCVS, triennio nondum exacto, vitâ & imperio defunctus, Belgij Ordinibus mandato regio fasces reliquit, donec IOANNES AVSTRIACVS hac Præfecturâ donatus, & victoriâ hîc apud Gemblacum de rebellibus, & alterâ priùs ad Naupactum de Turcis magis celebri clarus, imma-

immaturâ morte abreptus , laceram Belgicæ carinam , & iam puppi proraque destitutam , magno illi ALEXANDRO FARNESIO , cuius virtuti & fortitudini impar omnis oratio , reficiendam interpolandamque , quod munus annis xvi . cum laude exercuit , commisit . Successit Farnesio Principi PETRVS ERNESTVS Mansfeldiæ Comes , sub CAROLO V . Cæsare in Tunetanâ expeditione armorum Præfectus , longo rerum vsu venerabilis senex . nam annum LXXX . excesserat : sed annum vnicum emensus , ERNESTO Archiduci ALBERTI Cardinalis germano hæc gubernacula concessit . qui sanè Princeps , quâ erat moderatione , industriâ , consilij maturitate hos tumultus repressurus fuisse , nisi abrupto velut à texente vitæ stamine , vix vndecim mensium Præfecturæ superuixisset . Eo mortuo PETRVS HENRIQUEZ Fontium Comes , qui paucis antè mensibus à REGE ablegatus in Belgium venerat , clauo manum admouere cœpit : donec eum CARDINALI ALBERTO exspectatissimo Principi , Lusitaniae prudentissimo Proregi , summo Provinci-

32 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
uinciarum consensu & gaudio regendum tra-
didit.

Anno
1596.
11. Febr.

Venit igitur communibus omnium votis
& honoribus (vos alloquor Senatores, qui hos
etiam exhibuistis) acceptus A L B E R T V S , eo
animo à R E G E in Nauclerum Belgicæ mille
cladibus attritæ delectus , vt eadem regendi
moderatione, quâ Lusitaniam reduxerat , aut
in fide saltem nutantem continuerat , omni
diffidentiæ velo amoto, fœderatos Ordines ad
clementissimi R E G I S gremium, vnde rebel-
les exciderant , adducere niteretur. Sed is gu-
bernacula à pace frustrà Ordinibus denuntia-
tâ exorsus , numerosum militem conscribere,
classicum pulsare , signa in Picardiam explica-
re. Vbi primùm Caletum ad Ictium Portum
munitissimum oppidum, oppidanis salutem &
fortunas pactis, occupat, & paucis pòst diebus
arcem adhuc pertinacem expugnat modicis
copiis, quam P H I L I P P V S B O N V S eius proa-
uus, cum X L . millium exercitu ante annos pæ-
nè ducentos expugnare non potuit. Pari cele-
ritate Ardeam Caletensis agri propugnacu-
lum, velut in conspectu H E N R I C I I V . Na-
uarræ

uarræ Regis, qui Feram Veromandiæ vrbem
antè à Fontano Comite deditione acceptam,
iam sextum mensem obsidebat, ad obsequium
compulit. Mox geminatâ victoriâ elatum, &
graue spoliis agmen aliò abduxit, & inopinatò
in VVasiā adduxit ; delusoque insigni stra-
tagemate Mauritio Nassouio Fœderatorum
Præfecto, Hulstum territorij istius caput, arte
& naturâ validissimum, tentat, admotisque
machinis post dies circiter xxx. non ob-
stantibus recentibus auxiliis, quæ redeuntis
æstus beneficio frequentia à Zelandis accipie-
bat, imperio subiicit. Inierat iam alterum an-
num, qui nonagesimus septimus erat supra
sesqui-millesimum, belli fortuna Austriacis
consiliis haetenus obsecuta ; cùm A R C H I-
D V X vix anni fores pandente Iano, omnia in
proximum ver ad bellum, cùm pacem hostis
detrectaret, expediri mandat: & hibernâ tem-
pestate nonnihil sedata, Picardiæ metropolim
Ambianum vix horæ spatio, militari astu (iu-
glandibus videlicet in stationarios primo ma-
nè effusis, quos prædæ intentos ementiti agre-
stem habitum octodecim numero trucida-

E bant,

34 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI

bant, fœnarioque plaustro deciduas trabes in portis sustinebant, donec qui in insidiis latebant accurrerent) intercepit, & maximo ad proximum bellum, quod HENRICVS Rex moliebatur, apparatu potitur.

Interea PHILIPPVS II. consilia quæ diu animo conceperat de Prouinciis his bello subleuandis, valetudine cum ætate declinante, explicanda censuit, quorum caput erat, expeditre afflictis rebus nostris & Christianæ Rei-pub. harum Prouinciarum cessionem in Archiducem ALBERTVM. qui si gladio in omnia loca inducendus foret quæ pertinax hostis tenebat, multum sanguinis ciuilis effundendum adhuc superfuisset. Æstimabat autem pacem, etiam cum incommodo aliquo, bello potiorem; & celebratissimam Scipionis sententiam, cum Antonino Pio, & ipse pius Princeps usurpabat, *Duram esse victoriam, quæ cum ciuium iacturâ paratur.* Igitur in votis se habere significauit, Serenissimam Infantem filiam suam ISABELLAM ALBERTO Archiduci connubio iungere, eiisque patrimoniales suas Inferioris Germaniæ Prouinciascum Burgundiæ

diæ Comitatu in dotem confignare. O sanctas sapientissimi Regis cogitationes! ô felicem auspicio hoc nexu Belgicam ! quæ velut è gravi somno caput attollet , fulgente in his Geminis Hesperio illo Sole. O iucundam nouorum Principum , quidni dixerat Louis & Mineruæ? in hoc orbe coniunctionem ! Quid aliud desideremus ab hac Pandorâ,quàm quæ tandem per illam præstata nobis fuit,quietem? In paternâ namque domo velut in prudentiæ officinâ educata , paternæ etiam Monarchiæ negotia obiuerat , rerum ciuilium æquè ac bellicarum gnara. Demus hoc ISABELLÆ isti , quod aliis eiusdem nominis Heroinis tribuunt Historiæ; quibus vel innatum , vel raro beneficio indultum , hostiles inimicitias dirimere,pacemque faustis nuptiis conciliare. Fecit hoc ISABELLA CAROLI VI. Galliarum Regis filia , cuiuscum RICHARDO II. magnæ Britanniæ Rege sponsalibus , bellum conquieuit. Fecit altera ISABELLA , quæ inter PHILIPPVM IV. & EDVARDV M eorumdem iterùm Regnorum Reges , bello disfidentes,connubiali fœdere interuenit. Etiam

36 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
tertia ISABELLA hac virtute instructa, FER-
DINANDVM Cæsarem cui nuperat, ad pacis
cogitationes adhortata fuit. Quid autem re-
feram augustæ PRINCIPIS nostræ genitri-
cem ISABELLAM, PACIFICATRICIS ti-
tulum ob conciliatam inter HENRICVM
patrem & PHILIPPVM maritum pacem, ex-
tulisse? Quin si altius hoc maximarum He-
roinorum agmen ducendum sit, inueniemus
inter Austriæ Archiduces, ALBERTVM Pri-
mum, Tertium, Quintum, cum lectissimis
ISABELLIS auspicatas nuptias celebrasse.
Quidni & Belgis auspicatas fore, pacisque
conciliatrices arbitrabimur?

Anno
1598. in
Septemb. Igitur hæc cogitantem PHILIPPVM, in ipso
nuptiarum apparatu, primùm validior mor-
bus, dein viribus corporis exhaustis mors op-
pressit. cuius nuntius magis animos omnium
labefactasset, nisi pro explorato fuisset, non
nisi compositis vtrimeque pactis dotalibus,
connubioq; firmato hinc emigrasse. Ad quod
celebrandum Archidux ALBERTVS profe-
ctionem in Hispaniam adornat, suspensâ priùs
sacrâ purpurâ Virgini Matri quæ Hallæ mira-
culis

culis coruscat , idque eo ipso die , qui nunc ^{13. Iulij}
 fatalis illi fuit ; & relictâ Belgicarum rerum ^{1598. &}
^{eodem} summâ A N D R E A E Cardinali F E R D I N A N D I ^{anno in}
^{Sept. dis-} Austriæ Archiducis filio. Ne verò longâ sui & ^{cedit.}
 futuræ coniugis exspectatione Belgas reniora-
 retur , magnis itineribus , quamvis cælo in-
 commodo , Ferrariam deuictus , à Summo
 Pontifice C L E M E N T E V III . cum Serenif-
 simâ Hispaniarum I N F A N T E , illius vicem
 cum mandato gerente Sessiæ Principe , despon-
 satur. Inde Genuam digressus in Hispaniam
 traiecit , peractisque nuptiarum sollenniis , re-
 ditum cum augustâ coniuge maturauit. Qui-
 bus in Belgium reuersis dum pugmata mo-^{Anno}
^{1599.}
^{mense}
^{Septemb.} lesque triumphales , sinceri affectus & deside-
 ratæ pacis symbola præferentes , eriguntur , ac
 Principatus sui primordia à sollenni iureiuran-
 do , quo subditorum iura & immunitates se
 obseruaturos spondent , auspicantur , omnium
 in se benevolentiam facile conciliant , eaque
 imperium suum communiendum decernunt .
 Porrò Archidux A L B E R T V S , qui Guberna-
 torum numerum , Principatum adeptus , defi-
 niuerat , non alia quām de pace inter Christia-

38 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
nos Principes stabiendâ , consilia capessebat.

Anno 1598.
Superiori enim anno exploratis Francorum
animis , HENRICVM Regem & PHILIP-
PV M Catholicum arma ponere, ac commune
pacis bonum amplecti persuaserat : pertractâ
pôst in eamdem sententiam E LISABETHA,
Anno 1599.
& IACOBO deinde VI. , Britanniæ Regibus.
Restabat vnicum Belgium , cui conciliando
omnia studia conferebat. Verùm apud insolu-
lentem & corneæ fibræ hostem, nihil promis-
sa , nihil monita valuerunt : sic ut crudele v-
trimque bellum usque ad exeuntem annum
millesimum sexcentesimum septimum pro-
tractum fuerit, Ostendâ Flandriæ portu post
triennalem obsidionem , & innumeras fortif-
simorum virorum strages , interea ad deditio-
nem compulsâ , & Ducis Brabantiae Syluâ , ac
Anno 1604.
non modicâ F R I S I AE parte, vna cum Berckâ ,
aliisque ad Rhenum oppidulis , à miluis Bata-
uicis vindicatâ .

Anno 1606.
Ceterum concordiæ semina, aliquando per
ARCHIDVCES extrema belli inuitè persequen-
tes iacta , postquam recenti tot cæforum san-
guine irrigata fuissent , in Confœderatorum
Ordi-

Ordinum pectoribus pullulare cœperunt, & mox in gemmas, dein in flores erumpere, donec eorumdem gratissimum fructum anno in sequenti mense Aprili gustaremus, induciamrum pactis in annos duodecim firmatis. quæ quidem ARCHIDVCES tantâ fidei tenacitate cum infido sæpiùs hoste obseruarunt, ut ne ad latum vnguem absque religione ab ijs discedendum, aut subtilioribus consiliis illudendum, aut commodi specie insultandum putauerint. O Principes non belli & armorum, sed togæ & pacis! non tempestatis, sed quietis! Verùm dum à cædibus & sanguine Mars in Belgio feriatur, Serenissimi ARCHIDVCES solliciti quâ ratione ea quæ belli rabies euertierat, in pristinum splendorem redirent, dedicata Deo templo restitui, debitumq[ue] Religio-nis cultum per ditionis suæ pomœria, vbi is interciderat, resumi præceperunt: & vt Religio-forum virorum cœtus, quorum precibus of-fensum Numen placari, quorum exemplo ad virtutem componi alij possent, celebrioribus ciuitatibus admitterentur, magnâ sedulitate effecerunt; postquam anno superiore MAT-^{Anno} 1607.

THIAM

THIAM H O V I V M Apostolici germinis Antistitem, etiam nuper prô dolor! ereptum, excitauerant , vt conuocato Prouincialis Cleri Senatu , ruinis Ecclesiæ suæ per saluberrima decreta occurreret, eademq;e diplomate suo roborascent. Ipsi quoque, tum quòd imperij fulcrum pietatem erga Deum , quam à maioribus acceperunt, agnoscerent ; tum quòd ad exemplum Principis orbem componi non ignorarent , adeò sanctum , adeò religiosum cultum venerationemq;e in P R I N C I P V M P R I N C I P E M , & cælo receptos ciues, eorumque obsequiis deuota loca exhibuerunt hactenus, vt nulla sit ingenij felicitas, quæ dicendo eadem valeat exæquare. Sciunt exteræ nationes, quæ ad Aspricollis Virginis ædem votorum ergo conuolant, religiosam PRINCIPVM nostrorum in eam munificentiam. Scimus nos ipsi dum memoriâ repetimus , quot quantis que locis sacra fundamenta iecerint , largitate subuenerint , exemplo prouocarint. Vnicum illud Excalceatarum cœnobium, quod Palatio suo contiguum ab imo solo erexerunt , argumentum donat ; sic vt ad alia his temporis angustiis

gustiis non sit deueniendum. Atque adeò hæ virtutes in vtroque P R I N C I P V M effulsere, vt dum vnius encomia prosequimur, in alterius etiam laudem excurramus.

Hoc interim ad confertissima pietatis insignia in A L B E R T O addendum superesse video, quòd licet corpusculum diuturnâ inuale- tudine quassatum circumferret, cùm & cibus ad certum ei pondus à Medicis præberetur; primùm tamen ei curæ fuerit, erga sanctissi- mum salutis nostræ pignus Eucharistiæ Sacra- mentum veneratio: vt quod in hac ipsâ ciui- tate, imitatus R V D O L P H V M Primum, ægro à Parocho delatum (vidistis & applausis ci- ues) pedes adhuc Cardinalis deduxit; & quot- annis redeunte Julio, quando sollenni ritu Bruxellæ circumfertur, reuelato capite, ce- reoqué ardente, Princeps fuit infecutus, Solis- que qui tunc vehementior ardorem Austria- cā pietate superauit. Quàm multiplex Pietatis studium in P R I N C I P E hoc enituit? Quid? quòd supremo Maio annua vota facturus, ad Aspricollem æger concesserit, V I R G I N I V I R G I N V M nouendialem cultum, debitúm-

F que

42 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
que beneficentiæ illius affectum dedicarit! Il-
lius etiam erga venerandas SANCTORVM
Reliquias quām ingens reuerentia exsttit?
Quantā cum estimatione sacra illa pignora ha-
buerit, ex hinc conficitur, quod nec labori nec
sumtibus pepercere in diuinum hunc thesa-
rum. Testis mihi est insigne illud Dominicæ

Crucis fragmentum, quo nescias an alibi ma-
ius, olim à BALDINO Flandriæ nostræ Co-
mite, & Ierosolymorum Rege, Hollandiæ

Comiti, & ab hoc Egmondano Cœnobiarçæ
donatum, Coloniâ, quod per bella Harlemo-
p. Episcopas Har. translatum fuerat, postliminiò ad ipsum anxiè
legem p. repellet: multumque desiderantem delatum. Testes

Anno
1612.
B. Martyris ALBERTI, itidem Cardinalis &
Episcopi Leodiensis, nec non LIDVINÆ vir-

ginis sanctæ ossa: hæc quidem Schiedamo, illa
Rhemis singulari deuotione expetita; eorūm-
que iusta portio, per manus Auberti Miræi
huius Ecclesiæ Canonici, Montes Hannoniæ
metropolim, nuperâ peste infectos, transmis-
sa. Amplectebatur Religiosiss. PRINCEPS
SANCTOS ipsos in istiusmodi muneribus,
(verba sunt B. Athanasij) & tamquam magnâ
here-

Nota.

fragmentum s.
Guiris aliquando
Episcopas Har.
legem p. repellet:
dum

Item Reliquias
s. Lidvinae ex
Schiedamo appor-
tatas.

hereditate ditatus, lætanter recordabatur per illud animarum sanctorum vestimentum, imaginem sanctitatis. Vnde & morituro sibi, collo circumponi sacratam thecam voluit; vt vel in illo agone, cuius catastrophe in æternitatem definit, illorum subsidia deuotissimè se requirere testatum faceret, quorum Reliquias possideret.

Sed lubet hîc aliam pietatis exercitationem in re aliâ commemorare. Sciebat finem Principatus publicum bonum esse, ac moderatori Reipublicæ beatam ciuium vitam, vt monet de Repub. Cicero, propositam esse oportere, vt ea opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit; ideoque in animum suum omnium curam admittebat. Cumque non ignoraret, quâm necessarius in omni Republicâ esset usus aeris alieni, quantumque incommodi sentirent, qui illud commodatò acciperent à mensis ad præstandum mutuum auctoritate Principum olim institutis: primis sui Principatus initii, quod mutuum accipientes subleuarentur, hortante MATTHIA HOVIO Archiepiscopo Mechliniensi, vero popu-

Anno
1600.

44 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI

lorum Pastore, pensionem plurium millium
quę ærario soluebantur, remisit. Mox animum
adiecit ad eam mutuandi rationem, quæ com-
muni bono alibi instituta est sub nomine
M O N T I V M P I E T A T I S; atque id breui tem-
pore effecit, ut pauperes hoc adminiculo mu-
tuum accipiendo relevarentur, iamque noui
hi Montes in Belgio cacumen attollere cœpe-
rint: quos certè numquam adspiciemus, nisi
& pietatem **A R C H I D V C I S** respiciamus, cu-
ius præsidio solidantur. Sub hæc tempora,
Christiana & Austriaca res indiscrimen addu-
cenda videbatur, igne cineri doloso per Cal-
uinianæ factionis facinorosos aliquot Archi-
mandritas variè dispersos supposito, scintillas
suas euomente, quæ Germaniam finitimasque
Prouincias depasturę timebantur. Exuto nam-
que Bohemiæ diademate **F E R D I N A N D O**
Cæsare, & Frederico Palatino in Regem per
vim adscito, **A L B E R T V S** fortissimum Buc-
quoij Comitem, ancipiti aleā iam pridem ino-
pinatò interemptum, in rebellem Bohemiam;
Ambrosum verò Spinolam Marchionem
Venafranum, Martis & Mineruæ sobolem,
cuius

Anno
1618.Anno
1619.

cuius etiam virtuti & prudentiae per uigili pleraque posterioribus annis in Belgio feliciter sub Magni PRINCIPIS auspiciis patrata nos debere fatemur , in Palatinatum ablegauit. Qui dum CÆSARIS partes strenue agunt, subactis ijsdem Prouinciis, de Imperij hostibus triumpharunt. Sic & mortuo paulò antè G V I L E L M O Cliuiæ & Iuliæ Duce , cùm turbidi Bataui partes Brandenburgicas aduersus Neoburgi Principem aperto Marte fouerent, idem Ambrosius Spinola Archiducis consilio , & Cæsaris imperio obsecutus , exercitum adduxit , & Aquisgrano intercepto, Doesburgum ac Veslam opulentam & munitam urbem, Batauorum armamentario destinatam , opinione citius occupauit.

Anno
1614.

Prudentiam verò ARCHIDVCIS in rebus gerendis, & in consulendo virtutem uniuersi Principes suspiciebant , qui per Oratores suos ad Aulam ipsius tamquam ad aram confluebant , de arduis negotiis consilia accepturi. Quoties ille solo interuentu suo , & auctoritate , cuius à magnis meritis origo, dissidentes compescuit? quoties in alterutrum

46 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI

surgentes repressit? quæ subsidia afflictis vndique rebus contulit? quæ præsidia, voce ab oraculo illo delatâ, Regnis sceptrisque alienis adulit? Etiam apud hostes sapientiæ & clementiæ opinione celebris erat, vt iam defunctum haud secùs ac Principem & parentem suum nobiscum deplorent.

*Augustin.
epist. 162.*

*Lib. 4. De
Regno
Italiae.*

*Epiſt. 32.
ad Valen-
tin. Imp.*

Quantam autem erga Romanæ Ecclesiæ, in quâ semper viguit Apostolica cathedrae Principatus, Episcopum, deuotionem & subiectiōnem præstiterit, etiam referrem, si non pro explorato apud omnes esset, quod semper præstiterit vel maximam. Æstimabat certè cum CAROLO illo religione & appellatione MAGNO, vt est auctor Sigonius, tum demum Principes ad Augustalis excellentia culmen proficere, si Ecclesiæ Dei seruis magnificentiam suam impertinent, eorumque studiis obsequuntur. Nihilque honorificentius cum B. Ambrosio credebat, quam ut Imperator dicatur filius Ecclesiæ. Imperator enim bonus, inquit ille, intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Itaque verus Ecclesiæ filius ALBERTVS, illius Pontificem tamquam vniuersalis Ecclesiæ caput, Christiani

ni populi Pastorem, successorem Petri, & Orbis Episcopum, cum piissimis æui veteris nouique Principibus, agnoscebat in omnibus, quæ ad Deum pertinebant: cùm non ignoraret (quod olim H E N R I C V M II. Angliæ Regem ^{Pet. Bleſſ. ſenſ. epift.} ALEXANDRO III. Pontifici scripsisse memo-^{136.}
ratur) *Deum extulisse illum in eminentiam officij
Pastoralis, ad dandam scientiam salutis plebi eius.*

Iam de AVLA ipsâ quid dicam? Erat illa, non vt pleræque Principum, in quibus vitorum retia tenduntur, & ignea tela nequisimi iaciuntur; sed pudicitiæ sacrarium, matronalis verecundiæ gynæceum, modestiæ & probitatis schola, pietatis orchestra; sic vt nec ab eâ exeundum pietatis sectatoribus, nec Arsenio alicui fuga illius ad salutem necessaria fuerit; quin potius ad eam venientes, quamuis per abrupta cupiditatum raperentur, ocyus flagitiorum gurgite expediti, illustria optimarum actionum exempla in se admittebant.

Maximas virtutes quæ in PRINCIPE nostro fuerunt, AUDITORES, per compendium dixi: plerasque quæ in illo insigniores omisi, & inter illas eligendi ad principaliora munia siue sacra

48 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI

sacra ea forent siue sacerdotalia, industriam & maturitatem: non enim in viliora capita iuit aliquando Archidux ALBERTVS, nec sub illo velut sub hastâ venalis magistratus pependit. Versabat quid cuiusque humeri ferrent: sanctimoniam vitæ & prudentiæ opinione apud illum emergendum erat, & tales credebat Rebus publicis utilissimos, quales cuiusque fama in priuatis vulgabat. In hoc æternum celebrandus, quod duorum & viginti annorum, quibus Principatum tenuit, decursu, omnibus per Belgium primis Cathedris venerandos Antistites, Cœnobiis Abbates, primis subselliis Viros dederit, qui Sacra, Religionem, Leges in pace reuererentur & assererent, in periculis tuerentur & conseruarent. In quo & hoc admodum memorabile, quod ad Episcoporum electionem numquam procederet, nisi Pœnitentiâ expiatus, ac S. Eucharistiâ refectus, velut cum Deo, qui omnium corda scrutatur, huius ministerij & Apostolatus directionem & consilia participaret.

Atque hæc quidem omnia de Serenissimo Archiduce ALBERTO cumulatiùs à me dicta

Et a sunt : quorum tamen pleraque mentibus
vestris excutienda reliqui ; vt iugi eorumdem
recordatione , dolorem , quem deinceps acce-
pturi h̄ic estis , mitigetis . Ingredior enim lo-
cum illum in quem dubia humanarum rerum
sors me vocat . Lamentabilis h̄æc pompa , quí-
que in aures meas incurront singultus , cur-
sum laudationis sistunt . Imperuestigabili enim
Dei Sapientiæ ita visum fuit , vt optimus ille
piissimusq; Principum extingueretur . O
spei nostræ lubricitatem ! heu , *quantum est in*
rebus inane ! Fuit ALBERTVS Princeps no-
ster Sereniss. fuit ALBERTVS Dux noster
Clementiss. AVDITORES: sed fuit , heu fuit !
Quid in vitâ attollimur ? Ille pro thalamo re-
gali , communem nobiscum tumulum acce-
pit : Ducalem trabeam , cum vilissimo & pan-
noso Franciscani instituti cucullo , quo exani-
mum cadauer inuolui antè iusserat , commu-
tauit . Exuuias superstites sine pompâ , humili
sepulchro , quod ante aram sanctissimi Sacra-
menti , viuus in D.Gudulæ Æde Bruxellæ de-
legit , inferri voluit : eò felicior , quòd honores
apud gratissimos , suoq; funere consternatos

G

ciues

50 SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI
ciues inuenerit, quos reiecit: neque vno tu-
mulo iaceat, sed omnium quibus præfuit pe-
ctoribus oculisque tumuletur. Austriacas
Prouincias, quas ad se pridem hereditario iure
deuolutas insinuat, ut viuens, ita & moriens
FERDINANDO Imperatori cessit: cetero-
rum verò quæcumque qualiacumque ea fo-
rent, heredem ISABELLAM coniugem au-
gustissimam, quam ad Reipub. nostræ clauum
reliquit, testamento inscripsit: eamque etiam
ad illam quam semper amavit & æstimavit
Prouinciarum Belgicarum tranquillitatem,
paucis antequam ille se ad æternam compo-
neret horis, in quantum absque supremi Nu-
minis, Catholicæ Religionis, & Austriacæ Do-
mus decremento eam fieri contingeret, inte-
gris sensibus, verbisque neruosis, & paterno
adfectu est cohortatus. Quodque supremi Iu-
dicis, qui dicta factaque mortalium equâ lance
pensat, & compensat, rigidam trutinam per-
timesceret, obsecrationem sancti & tremen-
di Sacrificij, cui etiam maximarum rerum mo-
le oppressus, nullo vñquam etiam quo more-
retur die præsens non interfuit, vigesies mil-
lies

lies ad altare Domini offerri præcepit; atque
ad regionem viuorum, ex hac mortalium sta-
tione, piorum precibus, supplicationibus, eleë-
mosynis, ceu salutaribus quibusdam alis sub-
uehi, extremum postulauit. Quibus omnibus
ita pië sancteque dispositis, omnem cælo cogi-
tationem cælo datus P R I N C E P S defixit, ter-
ram que virtutum ipsius digna parum erat aut
capax, filijshominum relicturus. Vnde & re-
petitâ per eos qui nouissimis aderant, sacro-
rum librorum lectione, fatiscentem ægritudi-
ne spiritum, totis x i v. quibus lecto decubuit
diebus, relaxabat, & sacrorum pignorum, quæ
deferri ad se iussisse suprà memorauimus, atta-
ctu recreatus, ac salutari Viatico instructus,
esse inter mortales desiit, postquam inter eos ^{13. Julij}
^{Anno} ^{1621.} annis pænè LXII. numquam sine laude fuisset.
Atque id quidem eâ tranquillitate & constan-
tiâ, quam semper, etiam dum pertinaciore
cum morbo & articulari multorum anno-
rum cruciatu conflictaretur, exhibuit: vt non
mortuus, sed velut dulci sopore pressus vide-
retur; neque nos deseruisse, sed aliò dumtaxat
commigrasse, mox redditurus. Clausit labentes

& Crucifixo hærentes oculos Inacus de Brifueilla, Theologus eximus in Ordine Prædicatorum, qui annis x x v i. à Confessionibus sacris eidem fuerat, & cui etiam vnà cum Mechliniensis Cathedræ, Sanctioris Consilij & Financiarum Primatibus, paucisque aliis, paulò antè supremæ voluntatis suæ tabulas demandauerat.

Abrumpo hoc filum, AUDITORES, ne in luctum vobiscum & lamenta abeam. Quæ debetis, PRO PRINCIPI pietatis obsequia impendite: sanctamque eius fauillam, ac venerandos cineres, non lacrymis, sed eleemosynarum balsamo, pœnitentiæ pigmentis, & orationum sacrarum odoribus perfundite. Hæc peragentibus nunc Deo propinquus Archidux ALBERTVS annuet: vouentibus Deus adspirabit, vt dum nos regendos, dum nos tegendos marito superstes, illius etiam impulsu, suscepit ISABELLA (omnium hæc vota sunt) superatis tandem pacis inimicis, securâ Christianæ libertatis tranquillitate diu perfruamur.

APPROBATIO.

LA V D E S & lacryma in Exsequiis Sereniss.
Archiducis ALBERTI, Optimi Potentissi-
mig^o, Belgarum PRINCIPIS, pridem solenniter
celebratis in Ecclesiâ Cathedrali Antuerpiensi,
dicta à Laurentio Beyerlinck, eiusdem Ecclesiæ
Canonico & Archipresbytero, digna sunt quatuor
pannis committantur, & diuulgantur; quod per eas
numquam satis laudandi, numquam satis lugen-
di PRINCIPIS, in variâ virtute simulacrum
aliquid exhibeat posteris imitandum; & quid-
quid ad veri Principatus decus pertinet, ab hoc
PRINCIPE, qui id obseruauit, sumendum de-
monstretur. Datum Antuerpiæ IX. Kal. Sept.
Anno M. D C. XXI.

Zegerus van Hontzum, Canonicus
& Pœnitentiarius Antuerpiensis,
ac Librorum Censor.

A N T V E R P I A E,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. D C. XXI.

